COMPETITIO

AD AGREGATIONEM

Jussu Regis optimi et ex mandato summi regiæ Universitatis Magistri instituta anno 1823.

AN DIVISIO MORBORUM IN LOCALES ET GENERALES PROBABILIS ?

THESIS

Quam Deo favente, in saluberrimâ Facultate Medicâ Parisiensi, presentibus competitionis judicibus, publicis competitorum disputationibus subjiciet et dilucidare conabitur die anno 1824;

A E. M. BAILLY,

Doctore in medicinâ, Facultatis Medicinæ Parisiensis, è variis Societatibus doctis.

PARISIIS,

EX TYPIS MIGNERET, VIA VULGÒ DU DRAGON, N.° 20.

1824.

PRÆSES..... D. ESQUIROL.

JUDICES..... DD.
LANDRÉ-BEAUVAIS.
RECAMIER.
BERTIN.
FIZEAU.
CAYOL.
ROYER-COLLARD.
JADIOUX
ALIN.

VICES GERENTES..... KERGARADEC.
PARENT-DUCHATELET.

COMPETITORES.

DD.

De Londe, Rochoux, Gerardin, De Champesme, Cruveilhier, Piorry, Legras, Bailly, Ramon, Miquel, Destouet, Martin-Solon, Dupau, Dugès, Andral, Gibert, Tuffier, Bayle, Velpeau, Meslier, Leger (Vict.), Leger (Theod.), Bouillaud.

AN DIVISIO

MORBORUM IN LOCALES ET GENERALES PROBABILIS ?

PATHOLOGIA seu morborum historia, nititur physiologiâ seu notione functionum œconomiæ animalis.

Augeatur, vitietur, minuatur activitas unius multorumve organorum, disturbentur motus generales qui sibi invicem succedunt, aut in eodem tempore producuntur in corpore; adulterentur humores qui partibus organorum intimis, vitam et proprietates adducunt, et tum apparebunt omnia omnium morborum symptomata, secundum gradus et modum quibus equilibrium ruptum fuerit, prout minor majorve accedet læsionum gravitas, prout tales vel tales aliæ compositiones phænomenorum organicorum producentur.

Omne symptoma, omnis symptomatorum congeries cui nomen morbi dederunt, est factum physiologicum simplex aut complexum, cujus agendi modus naturalis solùm vitiatur causis quæ illud pathologicum efficêre.

Ad quæstionem supra positam solvendam, operæ pretium est igitur expendere an distinctio inveni possit evidens, inter acta organica e partibus circumscriptis procedentia, et acta organica producta et diffusa per omnes corporis partes. Itaque determinandum est an sint functiones aliquæ provenientes tantummodo ex actione limitatâ unius cujusque nostrorum organorum, atque an sint quas non sedem tam localem habentes efficerent proprietates organicæ, quarum pars nulla prœfulgere possit velut causa

genitrix. Si enim demonstrare valeamus in perfectæ valetudinis statu existere functiones solum locales et functiones motibus generalibus consistentes, et quarum nullum speciale organum sibi soli honorem creationis repetere possit, nihil aliud agendum erit ad morbos locales et generales observandas, nisi illas functiones generales et illos motus generales disturbare.

De hoc tandem concludemus divisionem morborum in generales et locales, non solum probabilem esse, sed etiam non minorem veritatis gradum offerre quam omnes observationum doctrinas.

De Functionibus localibus.

Pleræque corporis partes officiis funguntur quæ ità structurâ illis propriâ pendent, ut functio desit cum hæc structura non existit. Sic hepar solùm bilem, renes urinam, glandulæ salivariæ salivam secernunt, quamvis omnes (hepate excepto) eodem sanguine vivificati et iisdem materiis ac elementis imbuti liquores tam diversos tamen componunt. Porró bilis secretio, quamvis statu generali œconomiæ impressa, est nihilominùs functio localis seu specialis; idem affirmandum est de aliis functionibus.

Nervus opticus nobis impressionem transmittendo radiorum luminis, suo proprio et speciali munere fungitur. Idem facit acousticus quando diversarum aeris vibrationum notionem nobis præbet. Idem affirmandum de musculis quando illorum fibræ vi nervorum breviores evadunt et contractiones experiuntur. Omnes istæ actiones dicuntur functiones locales seu speciales, quiâ quando unum horum organorum tollitur, functio ejus non ampliùs in œconomiâ animali producitur.

Nunc disturbentur istæ locales functiones causis quæ solùm hæc organa excitabunt et totidem morbi locales apparebunt.

Sic læsiones visûs, auditûs, renum, pulmonum, etc., morbi locales erunt. Haud nescio œconomiæ statum universalem sæpe

evidentem fieri solis symptomatibus quæ ab unâ solâ parte producuntur.

Non ignoro in hoc casu non judicandum esse de morbi naturâ e symptomate locali accidentaliter producto ab organisationis affectione generali. Sic scabies, herpes, quædam papulæ, syphilitici tumores ferè semper pendent e statu generali, quorum difficile esset causam invenire in hujus aut illius organi morbo locali. Id factum solum probat, facile esse errorem committere in affectionibus localibus et generalibus distinguendis, sed nullum præbet argumentum contrà existentiam morborum localium, quando invadunt corpus alio respectu sanum.

Exempli gratiâ : si lues venerea ophthalmiam adducere potest, si in hoc casu hæc phlegmasia non est solùm localis, semper constans erit ophthalmiam ab externâ causâ excitari posse et tunc localem esse. Idem dicendum erit de omnibus inflammationibus quæ produci possunt vel causis exterioribus vel statu universali corporis. Sic cutis inflammari potest ab herpeticâ affectione quæ generalis est et à remedio vesicante, caustico aut instrumento vulnerante qua solum localiter agunt.

Casus similis reperitur in tumefactione inflammatoriâ glandularum inguinalium productâ, vel lue venerea, vel ictu, in corpore sano.

Haud dubiè sœpè difficillimum esse in praticâ discernere quanta sit potentia statûs generalis in morbos locales, sed quando occurrunt casus in quibus istæ locales affectiones integerrimæ observantur, nobis satis est de illorum existentiâ arguere.

Ab omni morbo locali possunt equidem surgere symptomata generalia quæ participem faciunt omnem œconomiam alterationis unius partis; sed illa irritatio quæ radiorum instar ab unâ parte offensâ ad omnes effunditur, probat affectionum generalium possibilitatem morbo locali mediante, nec pugnat contra existentiam morborum generalium.

Per compendium dicemus morbos locales existere eo præcipuè quod existant functiones tantummodo locales.

Ergo non præstat amplius insistere in hanc materiam, de quâ omnes convenêre, cùm pateant affectiones locales, nemine unquam contradicente.

De Functionibus generalibus.

Ab antiquitate remotissimâ omnes medici scriptores agnoverunt duas morborum prœcipuas classes, localium scilicet et generalium. Omnes putârunt aliquasdam esse affectiones quæ universum corpus lœdentes, in nullâ partes specialiter residerent. Omnes jurè et meritò admiserunt œconomiam animalem in suâ universalitate consideratam, pro uno et solo organo habendam esse functionibus propriis et generalibus prœditam, morbis què peculiaribus obnoxiam. Omnes hunc videndi modum secuti in nosologiæ operibus hanc distinctionem posuerunt. In his ultimis temporibus fuerunt tantummodò nonnulli qui professi sunt symptomata generalia nihil aliud esse nisi organorum ægrotantium clangores; verum equidem professi, si de aliquibus morbis solùm locuti. Sed cum hanc protulerint doctrinam de omni affectione generali, quæ, si illis fides habita fuerit, semper originem trahit de parte locali lœsâ, in graves errores incurrerunt, cùm in lævissimo habuerint functiones generales lœsione locali disturbatas, cùm earum symptomata credid[illegible] esse nonnisi sympathicos motus eò graviores quò intensior fuisset affectio localis quæ his impulsionem prœbuisset. Auctor qui primus hanc doctrinam exposuit, *Testa*, olim professor clinicus in universitate Boloniensi, has emisit ideas in libro cui titulus: *Delle azioni e reazioni organiche;* eamdem explanavit opinionem *Bufalini* in opusculo *sulla Dottrina della vita;* tandem in Gallia idem affirmavit *Broussais*, numerosis defensoribus nunc id illi credentibus. Nobis eodem modo progrediendum erit in affectionibus generalibus determinandis, quo usi sumus erga locales.

Scilicet investigabimus nonne, in habitu normali corporis functionum, sint aliquæ motibus generalibus constantes, quos impossibile foret hujus vel illius organi solummodo proprios demonstrare. Et cùm illorum existentiam probaverimus, unum erit *pensum* nobis ad affectiones generales ex illis deducendas, eorum exercitationem vitiare. Nec illis affectionibus magis erit sedes limitata quam phenomenis quorum sunt expressio aucta vel debilitata.

Omne symptoma sicut, jam suprà videbimus, e functione procedit; sic dolor nihil aliud est nisi sensibilitas in actum mota modo molesto; convulsiones nisi acta auctiora functionis quâ nervi musculorum contractiones excitant; muçosæ evacuationes nonnisi auctiores effectus naturalium secretionum è membranis mucosis profluentium; sanguinis congestiones nonnisi incrementum circulationis organorum texto naturalis, etc.

Omnia ista phænomena et consimilia sunt planè morbi locales quia spectant ad functiones totidem proprias solis organis quæ illas producunt. Quando igitur organa læduntur, necesse est illa producere symptomata quæ nihil aliud sunt nisi functio modo pathologico in actum. Ergo credere æquum erit systema nervosum lœsum esse quando dolor vel convulsiones adsunt, cùm hæc duo symptomata sint auctior expressio functionum hujus systematis naturalium, sensibilitatis et myotilitatis.

Nec dico de casibus in quibus hoc systema sympathicam accepit impressionem ab unâ parte læsâ; solummodo mentionem facio illorum in quibus morbus ejus primarius seu idiopathicus est. Quod affirmo de nervis, respectu doloris et convulsionum affirmari potest de organis secretoriis respectu fluxuum.

Sed quomodo analogiam invenire potuerunt inter supra memoratos casus et affectiones ventriculi respectu febris quæ secundum illos autores foret symptoma huic organo læso proprium sicut dolor et convulsiones nervis sunt proprii.

Si verum esset febrem solum pendere ab affectionibus ventriculi aut canalis intestinalis, verum etiam foret circulationem, calorifi-

cationem et nutritionem functiones esse his organis proprias et speciales; tùm facile intelligi posset horum organorum morbos, illas disturbare sicut sensibilitas et myotilitas morbis nervorum disturbantur; sed non res ita se habet; cùm enim ventriculus morbo afficitur, actionem lædentem immitit in universalium consensum virium quas in actum excitat et sub hoc respectu similis est omnibus corporis partibus quarum læsionibus plus minusve alterantur functiones generales. Si vires illæ quæ ad totam pertinent organisationem, jam morbis sibimet ipsis propriis vitiantur, graviora symptomata impressionem sequuntur morbi localis qui, tametsi parvi momenti, in illas vires agunt et potius sunt occasiones quam causa imminentis periculi.

Morbi locales enim consequentis affectus non semper respondent phenomenis localibus quibus excitantur.

Diu omnia organa sensitiva et locomotoria in exercitationem impelluntur, varii appetitus, corporis necessitates, volontates evigilant. Noctu, excitantia qua omnes partes ad actum provocabant, omni activitate carent.

Omne quiescit, saltem partim, est-ne quoddam organum quo efficiatur ista virium vitalium periodica circulatio? Non est procul dubio.

Hic fluxus et refluxus virium ad externa et ad interna successivus functionem universalem et generalem componit in nulla parte limitatâ sitam. Atque hic motus aut potius ista generalis functio peculiaribus malis augi, debilitari aut alterari potest, nec ideò nullum organum nominativè hujus rei accusandum erit; nulla pars enim functionis istius exercitationi specialiter adhibetur.

Omnes gravem in illam quassationem inducere valebunt, omnes illam in exercitationem impellere, sed in omni casu functio ista illarum provocationi respondebit secundum *peculiarem* ipsius statum; et id quidem accidit, nam febris nihil aliud est nisi activitas pathologica motûs universalis (de quo suprà diximus) lœsione locali provocata.

Si sanæ fuerint vires, febris erit tantummodo inflammatoria simplex, omni caractere speciali carens, eritque tunc quædam concordia inter symptomatum gravitatem et læsionis localis *acuitatem.*

Cùm autem functio ista in semet ipsâ vitiata fuerit, febrilia symptomata graviora erunt quam non esse debuerint si sana extiterit functio, tametsi causa localis semper habuerit eamdem intensitatem; exempli gratiâ : in caldis regionibus vires corporis generales adeò calore auguntur ut sœpius graviores morbi rapidissimè levioribus causis provocantur. Nam Romæ notum est æstivis temporibus, febres perniciosas oriri solo contactu cum corpore sudore madente auræ levissimæ cujus vix sensatio percipitur.

Quomodo pro morbis localibus habendæ sunt læsiones quæ in febribus perniciosis producuntur in æstivis regionibus, cùm eadem causa licet minima easdem perturbationes provocat graviores, diversa diversis facultatibus prædita organa excitando, quomodo hoc factum explicaturum foret, si non admitteretur virium generalium consensus, diversis punctis ad violenter agendum ubique facilis, levissimis impressionibus.

Si autem ista functio non disturbari potest læsione locali, hæc læsio gradum talem attingere valet ut structuram organi penitûs alteret, nullis phenomenis generalibus provocatis; Quod evenit in pneumoniæ, gastritidis, aneurismatis, squirri et aliarum chronicarum affectionum casibus. Ergo sunt vires generales functione generali motæ.

Ergo vires in semet ipsis alteratæ, in illarum modo agendi vitiatæ morbos producere valent spectantes ad naturam virium, ad modum functionis quæ illas ad actum impellit.

Febris nihil aliud est quam morbus generalis cujus expressio physiologica motus est periodicus, universalis, qui omnes vires successivè ex interno ad externum et vice versa transmittit. Motus iste totius œconomiæ animalis est, totum corpus ergo morbus hujus functionis afficere debet.

Nunc investigandum est an sint aliæ functiones generales quarum sedes non possit inveniri in aliquâ parte definitâ?

Qualiscumque sit fluxûs muliebris causa primitiva, factum ipsum omne hypothesi destitutum referam.

Cùm mulier passa est hunc fluxum periodicum, estne die sequente ad illum experiendum æquè obnoxia, ac si aliquæ hebdomades transgressæ fuerint, nemo affirmativè respondebit, nam si non ita fuisset, si fluxus iste ante et post cessationem cum eâdem facilitate advenisset, animalis œconomia sponte sua illum provocaret. Atque cùm cessavit, non solum propriis viribus impar est ad illum tunc producendum, sed etiam sæpius haud idoneus est ad illum excitandum invitis omnibus causis adjuvantibus, quò majus elabitur temporis intervallum post menstruationis epocam eò majores fiunt conditiones ad illam reproducendam, tandem cùm iterum sufficienter cædem accumulantur conditiones, fluxus apparet, nullâ equidem causâ exteriore illum provocante.

Si nunc attentè de die in diem consideratur œconomia generalis, facile videbitur illam non semper sibimet ipsæ similem esse in duobus momentis comparatam. Hæc enim facultas ad hoc *tentamen* hæmorragicum determinandum crescit semper gradatim prout majus fit tempus ex quo menstrua apparuerunt, id nobis argumentum præbet ad stabiliendum hanc fluxionem effectum esse functionis generalis, qui quosdam temporis periodos perlustratura, principium, progressus et finem ostendit, et quæ nullius partis circumscriptæ à proprietatibus specialibus pendet.

Hujus assertionis veritas maximè indubitata fulgebit cùm dicemus factum ferè simile in hominibus necessariò utere carentibus, observandum esse.

Hæc igitur est functio universalis cujus causæ efficientes ad totam organisationem pertinent, qua propriis morbis alterari potest nullo illas affectiones organo particulari producente.

Quod diversis hominum et mulierum fluxibus menstrualibus physiologicè convenit, in morbis etiam sese offert. Sunt enim variæ

criticæ evacuationes ad morbos, quod menstrua ad valetudinem. Quidam periodici circuitus motuum vitalium sunt necessarii ad crises sicut ad menstrua producenda. In omnibus istis circumstantiis hi motus generales totum quoddam universale constituunt cujus causa in nullâ parte locali sedet, et quæ nullius organi ægrotantis dolores specialiter exprimit.

Si cogitationis officio debiliores reddamus et *acuitatem* doloris et violentiam convulsionum, semper remanebunt functiones speciales, sensibilitas et musculorum contractiones naturales, quarum dolor et convulsiones nihil aliud erunt quam manifestatio ad majorem gradum prolata. Eodem modo minuantur activitas crisium et menstruorum et nunquàm inveniemus ullam functionem specialem cujus istæ secretiones essent tantùm expressio magis energica, nunquàm in illis reperiemus tantummodò organi dolentis symptomaticos effectus.

Existunt igitur in œconomiâ animali diversæ functiones generales, variis actis organicis constantes et sibi invicem succedentibus secundum organisationis leges.

Unâ quarum functionum mediante, partes corporis agunt et periodicè quiescunt in physiologico statu. Quibuscumque illa causis augeatur, apparebit febris quæ idem factum sed pathologicum erit. Physiologia ergo argumentis specialibus probat unam existere febrem primitivam quam excitare valent omnes partes, et sic cum opinionibus pathologicis jam à longo tempore emissis ab hujus scholæ eminentibus professoribus *Fizeau* et *Recamier* concordiam præbet.

Alteræ functionis officio corpus quâdam repletione turgescens, ab illâ liberatur motibus qui aliquos percurrunt circuitus ad organa convenienter disponenda ut materias inutiles vel nocuas foràs ejiciant. In integerrimæ valetudinis statu menstrua hujus functionis sunt modus physiologicus; in morbis, criticæ evacuationes illius modum pathologicum constituunt.

Existunt ergo totidem morbi generales totidem functionibus

universalibus spectantes; sed affectiones istæ tantum pertinent ad modum quo vires diversis œconomiæ partibus præbentur. Sunt adhuc alii morbi generales qui è naturâ liquidorum et solidorum et ex eorum compositione pendent, et qui ob eam rem licèt semper sint generales, non exprimunt functionum læsiones, morborum super memoratorum instar. Exempli gratiâ : cui organo particulari, cui functioni læsæ referenda erit lues venerea, et quamvis sæpiùs sese ostenderit morborum localium ope, eritne deducendum illam non aliud esse quam locale symptoma quod ista lues excitaverit? Affectiones herpeticæ, psoricæ, scorbuticæ, etc. eodem modo pendent conditionibus universalibus quarum sedem in limitatis partibus frustrà invenire tentaverint. Si membrum morbo tantummodo locali laborans amputabitur omnia evanescent symptomata. Si morbus autem istius pendebit è causis generalibus jam dictis, mox aliud symptoma in alterâ parte repullulabit et remedia specifica ad curam obtinendam necessaria erunt. Quomodo pro affectionibus localibus haberi possunt rhumaticæ affectiones, arthritis, quædam exanthemata velut erysipelas quorum causæ materiales varia organa perlustrantes nunquam sedem fixam occupant et phenomena maximè diversa excitant vicissìm disturbando omnes externas internasve partes.

Conclusiones. Morbi locales ergò existunt et respondent plerique functionibus peculiaribus organorum, alii causis mecanicis producuntur. Tales sunt luxationes, fracturæ, incisiones, vulnera, contusiones, etc.

Ergo morbi generales existunt totidem motibus virium generalibus, aut functionibus universalibus spectantes. Aliæ generales affectiones respondent conditionibus generaliter diffusis in compositione liquidorum vel solidorum; tales sunt syphiliticæ, herpeticæ, scorbuticæ affectiones.

Ergo *divisio morborum in locales et generales probabilis.*

FINIS.